

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

rem appellavit, tametsi à nemine rogatus. Habes ergo refutationem illius partis Epistolæ. Rectoris officium non possum facere, nec interpretis. D. Planerus, integerrimus vir, vobis sua officia peramanter offert: sed de hoc & de cæteris proxime plura. Vide, quantum mihi de te pollicear, quod tam neglectim scribo; sed hoc amicitia est. Fratri, M. Erasmo, me excuses velim in aliquos saltem dies. Hero vestro, incomparabili viro, ex me observantia & studii plenissimam salutem. Ei quoque decrevi, ut à me coram petiit, scribere. Jam vale, & me amare perge, tametsi eum sentio amorem tuum esse, ut non facile major possit existere. Argentorato, postrid. Ulrici, 71.

Tuus totus

Pappus.



LVII.

Salutem in Christo Jesu. Reverende & Clarissime

Vir, Domine & frater honorande.

Literas tuas eodem die accepi, quo iter Mompelgardia sum ingressus. Quoniam autem spero, me non diu Mompelgarti commoraturum, optarim te prius Argentorati convenire, quam iter in patriam susciperes. Ubi & de causa D. Illyrici & Piscatoris tecum agam. Fortassis ante sextum diem Augusti me Argentorati videbis. Ideo si ulla ratione fieri potest, susceptum iter ad aliquot, eosque paucos, dies differas. Si in reditu Piscatorem Argentorati invenero, agam coram, ut intelligatis me & veritatem & auctoritatem vestram tueri velle. Sin Tubingæ in illum incidero, idem agam, quod reipsa vobis testatum facere volo. Disputationem meam nuper habitam D. D. Herbrandus me inscio ad Te misit. Spero, illam & tibi & D. Illyrico satisfacturam. Et quoniam Tu Illyrico hortator fuisti semper, ut phrasin abjiciat, quæ plurimos offendit, & ipsum in gravissimam suspicionem hæreseos adduxit, procul dubio nunc te audiet. Qua de re Argentorati brevi, ut spero, coram. Bene & feliciter vale. Raptim Basileæ, 17. Julii, 1571.

Tuus ex animo totus frater

Jacobus Andreæ.

LVIII.

S Qui has perfert, Bernensis scholæ Professor est, M. Benedictus Aretius, Bernatum in Academia vestra quondam alumnus. Vir est pius, & moderati ingenii.

Bbb

geni.

genii, in visere vos istic & inde Heidelbergenses instituit. Cupio eum T. d. commendatum, quo alatur conjunctio, & mitigetur quorundam ferocia. D. D. Jacobus Andrea, hâc transit Montpelgardum, ubi diebus aliquot ob negocia Ecclesiastica hæsurus est. Ad vos autem illinc se conferet, ut si fieri queat, tibi comes sit Isnam profecturo, tecumque de rebus multis familiariter commentetur. Quo nomine ejus mihi adventus & conspectus exoptatior fuit, quod nihil dubitem, ejus præsentiam plurimum habituram momenti, priusquam M. Piscator Tubingam sese recipiat. Quod filios attinet tuos, recte habent hæcenus omnia. Profitetur jam M. Philippus 45. Psalmum, M. Erasmus 4. Physicorum, uterque fideliter & luculenter. De Affectu Philippi, quo ad maxillam, consultum videtur, ut Medicorum sententiam habeamus, saltem præcipuorum aliquot, quam ubi acceperimus, ad T. d. perferribam, quo de eadem cum præstantiss. Viris D. D. Andernaco & Sebaldo deliberare queas. Non est certe contemnendus, ne neglectis principiis abeat in incurabilem morbum, & præclarum ingenium corporis debilitate impediatur. In canicula tentari nihil potest utiliter; quare nisi secus tibi videatur, medicorum cognoscemus consilia, quæ ad te deinde perscripta transmittamus, rogaturi interea Dominum, ut quam ostendit nobis præclaram spem, ratam ut esse velit, & firmam sanitatem, cum mente, quam sanam dedit, largiri dignetur. Bene vale in Christo JESU, ut reverende & chariss. frater, unâ cum uxore, symmiffis fratribus & D. D. Scholarchis, quos cupio salvos jubeas meis verbis amanter & reverenter. Basil. 23. Julii, Anno 1571.

T. d. s.

Sulcerus totus.

LIX.

Salutem in Domino & Servatore Jesu.

TRistes accepi tuas, Reverende frater, literas, de nova vestrarum Ecclesiarum perturbatione, quæ mihi quoque, meisque Collegis acerba est. Dolemus vicem Ecclesiæ, gemitus piorum, jubila hostium, scandala pusillorum legemus; etiam irascimur *ἡσυχίας καὶ ἡσυχίας ἔχου*, & modestas admonitiones locum non invenire molestè ferimus. Sed hæc Ecclesiæ senescentis fors est, cujus brevi Filius DEI miserebitur, Amen

Mea autem de hoc certamine hæc est sententia: ut existimem, neque substantiæ, neque Accidentis vocabulum ad hanc tractationem rectè adhiberi. Tametsi enim Dialectica instrumentum est commune, ad omnium scientiarum tractationem accommodatum, tamen Instrumentum maneat, neque Lesbiæ regu-